


August Varenius    Joachimus Scharffenberg

## **Partis III. In Schola Isaiana Disputatio X. Cyro & Christo, Ex Cap. XLIV. & XLV.**

Rostochi[i]: Richelius, 1664

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774784083>**

Druck    Freier  Zugang



PARTIS III.  
IN SCHOLA ISAIANA  
DISPUTATIO X.  
DE  
CYRO & CHRISTO,

Ex Cap. XLIV. & XLV.

Quam

כָּשֶׁם יְהוּרָה הַמּוֹשֶׁעַ

PRÆSIDE

AUGUSTO VARENIO,

SS. Theol. D. & Theologo Professore, Consistorii  
item Serenissimorum Ducum Assessore,

ad *Κυζήτησιν* Academicam proponit

JOACHIMUS Scharffenberg/

Gustrov. Mecklenb.

*in Auditorio Academico Mesoselen.*

*habebitur die 13. Februarii*

*hor. à 2. postmerid.*

—os :) (o) (: —oo



ROSTOCHI,

Typis Johannis Richelii, Senat. Typogr.

ANNO cIo Ioc LXIV.

*R.U.-theol 1664 Varenius, August/c.*

VIRIS

*Reverendâ Dignatione, Doctrina ac Pietate  
maximè confpicua*

**DN. DANIELI JANO,**  
Dioecesis Gultroviensis & Rostochi-  
ensis Superintendenti, atq; Consistorii Sere-  
nissimorum Ducum Mecklenburgicorum Af-  
fessori excellentissimo,  
Mœcenati suo ætatem venerando.

**DN. STEPHANO Hanen/**  
Sereniss. Duci Mekleburgico à Con-  
cionibus aulicis, Ecclesiæ item Christi, quæ est Gu-  
strovI, ad S. Cæciliam Pastori optimè  
merenti.

**DN. M. NICOLAO Heidmann/**  
Ecclesiastæ ibidem vigilan-  
tissimo.

Dominis Promotoribus, Pa-  
tronis, Fautoribus perpetuâ animi de-  
votione reverenter sibi colendissimis  
Academicam hanc Exercitationem,  
cum voto sempiternæ felicitatis in u-  
berius Promotionis & benevolentia  
incentivum dedicat

**JOACHIMUS Scharffenberg/**  
Gultrov. Mecklenb.

## PHARASCHA I.

cap. 44. à v. 24. ad 28.

*Cyrus CCX. annis nominatus, & Pastor ac Liberatoꝝ Israelis  
designatus, antequam datus.*

**O**ratio hæc quæ cap. 44. v. 24. incipit, & cum cap. 48. desinit, inter duos CHRISTOS unum liberationis corporalis Judæorum, ex Babel: alterum *Servatorem mundi*, seu *omnium finium terræ*, distribuitur, & CYRI, ac JESU MESSIÆ Symbolis pulchrè representatur.

Concl. 1. Magnum sanè, *Jerusalaim desolatam* planeq; cada-  
ver factam restituere in integrum, ut *habiteretur*, & *civitates omnes Ju-  
dææ vastatas* per Babyloniu, *ipsasq; desolationes instaurare*, s. *adificare*:  
majus illi exeqvendo Monarcham gentium destinare, & *consilium  
superius, omnemq; voluntatē divinam per hunc perficere*, imò illi fini *flu-  
mina arefacere*, & *dicere profundo: exsicca te*. Maximum, duobus  
& ultra seculis Monarchæ nomen, res gerendas, & inprimis illa  
bella Domini, imò florentibus adhuc rebus gentis, metropoleos,  
templi, horum ruinam, & hæc suppositâ, redinstauracionem præ-  
dicere vid. v. 26. 27. 28.

Concl. 2. Sed quid non possit **יְהוָה**, 1. *Redemptor Israelis*, 2.  
**יָצָא**, seu *plasmator ejusdem ex utero* (Saræ in Jizchako, Rebecca in  
Jacob, Rachelis & Leæ, duarumq; secundariarum uxorum in  
**Δωδεκαφύλων**) 3. **כֹּל יָצָא** *Faciens omnia*. 4. *Extendens  
cælos solus*. 5. *Expandens terram autoritate propria*, seu *à semetipso*.  
(vers. 24.) 6. *Irrita faciens signa* (Astrologorum) *mendacium*, Chal-  
dæorum, usq; adeò Astrologiæ cultorum, ut, quod initio gentis,  
factum fuerit nomen professionis. 7. *Insanire faciens divinatores*.  
8. *Convertens sapientes retrorsum*. 9. *Scientiam eorum stultam faci-  
ens*. (vers. 25.) 10. *Suscitans verbum servi sui*, & *implens seu perficiens*,  
*consilium Nunciorum suorum* (Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis)?

Concl. 3. Idem adeò **יְהוָה** prædicit jam nunc, futuram *Hie-  
rosolymorum & civitatum Jhuda instauracionem*, imò uno verbo po-

T

tenti

tenti illud exequitur, dicens scil. de ipsa metropoli, ubi jam tota jacet in ruderibus: **רושב**, id est, **HABITABITUR**, & de Civitatibus **יבודה** illud **הבנינה** seu **adificabuntur**: item: **חרכתיה אקומם** id est, **ruinas ejus, seu ipsas vastitates erecturus sum**, vid. v. 26.

Concl. 4. Imò, cum, ut id fiat, opus sit Israellem educi carceribus Babylonicis, idq; fieri cum gloriâ Israelis, & calamitate Babylonis, proinde idem DEUS velut Imperator illius belli Generalissimus, & de *Instrumento*, seu invicto Bellatore & Liberatore prospiciet & huic æqvè Babylonem oppugnanti, ac Israëlî egredienti sublatis obstaculis viam patefaciet, atqve ad eò prout vult *finem* scil. gloriosam Israelis in integrum restitutionem, & *Judææ*, in illa *Jerusalaim*, ac in hac templi redinſtaurationem, v. 26. ita ipse quoq; procurabit Babylonis destructionem, & ad utramq; præstabit admirando modo *media*: ne enim vel invasorem Babylonis expugnatorem, vel egressuros Babyloniâ palustri Israelitas, flumina ingentesq; paludes remorentur, ipse *dicturus est profundo s. Babyloni in profundo inter paludes sita: exsiccare: ipse flumina Babylonis arefacturus est*, v. 27. cujus complementum in facto Cyri, qui, ut *Babylonem caperet, aranam Euphratem diffudit, & parte ejus in latas abductâ, per alveum veterem in urbem ingressus est*, Herodoto teste, non malè collocatur. Sanè convenit egregiè prophetia Babylonis expugnandæ, Jerem. cap. 51. v. 31. 32. Representantur ex interiori urbe ipsaq; Regis aulâ trepidante, in illam urbis partem, cui imminabat Cyrus oppuglator, incessanter emissi summâ illâ Babelis die, qui quo loco res, referrent Regi, & Proceribus. Igitur priores *cursores & nuncios reversos*, posteriùs emissis tunc occurrisse, atq; ita **מגיד לקראת מנור & רץ לקראת רץ**, *perturbatos indicavisse Regi* **כי נלכרה עירו מקצו**, id est, *Urbem ejus seu urbem regiam ab unâ extremitate seu parte, & τὴν τὴν ἐκ τῆς ἑκείνης τῆς πόλεως, jam expugnatam. Inventum scil. transitum per abactum Euphratis alveum, occupata vada, seu transitus ex Euphrate in urbem: arundines in paludibus Euphratis magnitudine arborum crescentes, ipsaq; adeò carecta ex alveis fluminum à Cyro exusta, ut expeditior esset ad urbem via,*  
vel

vel occupata munimenta τῶν ἑλκεῶν, quæ sunt τὰ ἔξω τῆ πόλεως τεύχη:  
 conterritos inde propugnatores in illâ parte Babylonios, vid. v. 32.

Concl. 5. Idem, ut de veritate promissionis tantò magis confirmaretur Ecclesia, jam nunc Liberatorem illum Israelis, & debellatorem Babylonis 200. circiter annis ante complementum, nominat (scil. nomen illi fore **שׂר** *Cores*, quod deinde, DEO ita moderante mentes illorum qui nomen indiderunt, impositum primo Persarum Regi & Monarchæ, ut appellaretur Cyrus) & qualis ille futurus sit affectu, studio, opere ipso in Israelem, *Pastoris* titulo designat: *Diciturus scil. sum de Core sch seu Cyro:* ( **שׂר** ) *Pastor meus: & omnem voluntatem meam perficiet:* (cunqve mea voluntas sit **יְרוּשָׁלַיִם**, seu ut *Jerusalem inhabitetur*, vid. v. 26. ille quoq; exequetur strenuè illam voluntatem meam) *idq; dicendo ipsi Jerusalem: Edificaberis: & ipsi templo: fundaberis,* seu **תִּבְנֶה הַבַּיִת** vid. v. 28. quod quomodo per magnifica diplomata Cyrus edixerit, ex 2. Chron. 36, 22. & 23. Esræ 1, 1. 2. 3. plus vice simplici legere licebit. Notetur in vers. 28. Græcos Interpretes reddidisse: ὁ λέγων ἔργον *Φροσέν*, id est, qui dico Cyro, ut sciat: pro **שׂר** scil. legerunt tenui literæ immutatione **שׂר**: atqve ita, pro *Pastore* reddiderunt *sapientem*. Apparet inde non magis ex illis talium errorum exemplis probari Græcos Interpp. habuisse Codicem sine punctis, quàm sine consonantibus, vel exemplar ipsis consonantibus corruptum. Notetur quoqve Cyro signantèr tribui, ut templo dicat non **תִּבְנֶה** *edificaberis*, prout *Urbi sanctæ*: sed tantùm **תִּבְנֶה**, id est, *fundaberis*. Ipsa enim *urbs* sub Cyro *edificata*: Templi autem sub hoc non nisi fundamenta jacta. Ratio ex Esræ cap. 3, 6. 8. 9. 10. c. 4, 1. & c. 5.

## PHARASCHA II.

cap. 45. à v. 1. ad v. 8.

## CYRUS CHRISTUS DOMINI.

Concl. 1. Quæ proxumè vers. 28. cap. 44. de Cyro summarie memoraverat, illum scil. constituendum *Pastorem* Israelis, *perfecturum omnè voluntatem Dei*, illum *impenaturum Hierosolymis* illud **תִּבְנֶה**

T 2

&amp; Tem-

& Templo דִּסְוֹן, amplius explicat & confirmat DEUS, representando ipsum Cyrum, velut in statione typica Christi, s. per unctio-  
nem Regalē segregati, tantisq; rebus accincti colloecandum, & de  
autoritate, apparatu & fine bellorum Domini plenius informan-  
dum à cap. XLV. Ne quis enim dubitaret Cyrum talem fore, qua-  
lem cap. XLIV. v. ult. memoraverat, ita illa asseverat DEUS, ut  
magnificentius etiam Agenda Cyri bellica describat cap. XLV.  
Quippe: *Sic ait DOMINUS Christo (uncto) suo* (ab ipso DEO in  
Regem & Monarcham ordinato מְסֻכָּוֶה) illi scil. (uncto) *Coresch*  
(seu Cyro) *cujus firmiter apprehensus (seu confirmaturus) sum dex-*  
*tram, ad sternendum (& ita expandendum) commeo gentes, quin* &  
(ante quem) *lumbos Regum dissolvam, ad aperiendum coram eo valvas, &*  
*porta non occludentur* (removebo ad unum omnia obstacula) vers. 1.  
Notetur 1. Interpretes Græci & Vulgatus legunt, ac si esset in for-  
tibus למשיחי לכרש, למשיחי לכרש, Christo meo Cyro: utroq;  
autem modo manet singularis locutio. Loquitur sc. DOMINUS de  
DOMINO. DOMINUS dicit quid loquatur DOMINUS, & quod  
loquitur DOMINUS v. 2. idem in personâ 1. sibi vindicat v. 1. o-  
mnia scil. illa quæ in personâ 1. sequuntur post Segolta seu לכרש  
Notetur 2. illud כרש est infinitum à כרש in significatione פריש  
וּרְקיעוֹ seu segregationis, expansionis. Notetur 3. complemen-  
tum quoad devictas gentes in Medis, Lydis, Jonibus, Babylonis:  
quoad Regis lumbis dissolutis, ademptoq; baltheo, invalidos, pa-  
vidos, effœminatôs, rebusq; strenuè gerendis ineptos reddendos,  
in *Astyage, Crafo, Nabonido.*

Concl. 3. Illum adeò כרש seu Cyrum velut præsentem jam  
tunc, teste כרש confirmante dextram Cyri, ita alloquitur כרש  
EGO ante teibo: & extuberantia aquabo: portas areæ (ad unum o-  
manes) confringam, & vestes ferreos succidam v. 2. (id est, nihil tam al-  
tè erit editum, nil tam munitum, quò non virtus tua, me Anteces-  
sore, penetrabit: nulla obstabunt castella, nulla claustra, non  
portæ areæ, non vestes ferrei: perumpes omnia Victor & Trium-  
fator, me præcunte, qui adeò) *daturus sum tibi thesauros tenebrarum,*  
*& abscon-*

& abscondita latibulorum (s. abstrusissimos & abditissimos thesauros & opes gentium ditissimarum Asiæ, Joniæ, Melopotamiæ, gazam tot Regum, gemmas, monilia, diligentissimè asservata aliq; sive facti, sive infecti auri pondera. Pulcherrimè Lutherus: *Ote heimliche Schätze, und verborgene Kleinod.* confer Plinium XXXIII. 3. idq; faciam) *ut agnoscas me qui nominatim te, vel expresso, etiam ultra seculum anteqvam nascereris, nomine voco* (tibi magnificentum Christi, PASTORIS MEI, seu populi mei, proprium item כרש, חֲסֵד, sive hoc Solem, sive alimoniam significet, nomen indo) esse summum & verum DEUM, qui est אֱלֹהֵינוּ אֱלֹהֵינוּ, seu יהוה DEUM Israelis, v. 3.

Concl. 3. Notetur i. Vox הרורים in v. 2. quam per ררכים והמסובכים, id est, *Vias tortuosas, & quasi in se reflexas ac redeuntis seu rotundas*, explicat Autor Miclal Jophi. Ita Kimchi per עקלקלות ררכים. Ita & Raschi. Addunt duo priores exemplum ex lingua Magistrorum, in qvâ הרורה הַכְּתוּמָה appellentur *intestina minora* מְלֻפְפִיז וּמוֹקְפִין וּז לַפְּנִים וּז כַּעֲיֹגוֹר, *orbiculariter circumvoluta, ad instar serpentis convoluti, vel מעוקלים בני מעים מעוקלים*. In eum sensum ex *Bavabasma & Targum Jonath.* in Levit. allegatur exemplum. Quia tamen nusquam alibi vox הרור vel plural. הרורים, ipsaq; radix הרר in sacris occurrit in tali suppositione, maluimus ad generaliore[m] eminentia[m] significationem & hæc & alia ejusdem radicis exempla referre. Sic in honore s. *decore datur eminentia*: sic, quicquid extantius est, vel extuberans, *eminens* est, neque necessarium, ut simul sit *decorum*: atque hæc ratione faciliè esset conciliare Græcos, qui reddiderunt per ὄρη, seu *montes* (nisi lapsus circa literam ר, pro ר ac si esset הרורים ubi est הרורים & hîc prout supra, fecisset illos errare) faciliè Chaldaum, qui reddidit illud אִשְׁרַי אִשְׁרַי אִשְׁרַי per שוריי אכביש, id est, *duros subigam*, neque tam הרורים essent *muri propter rotunditatem* ער שם שסככת החומה ארת העיר, seu *quod circumdant urbem & in se reflexi redeant*, quam propter illam eminentia[m]



applicationem: Imò illa הַרְרִים eminentia, e. c. moenia, castella edita propugnacula, videbantur gentium, & Regum decus ac gloria, & adeò habebantur pro *honoratioribus locis*, & verè הַרְרִים, quomodo etiam nunc simile quid ipsa nomina impositis castellis, imposita sonant, e. c. *Christianspreis / Landestrohn / Krohnenburg /* quæ & similia appellare licebat הַרְרִים tam quoad *eminentiam*, quàm quoad *decus seu honorem*, quem terris & gentibus videntur addere. Apparet quoq; inde, non culpandum heic Vulgarum, qui reddidit: *gloriosos terra humiliabo, s. gloriosa terra* (Castella, munita, moenia edita) *equabo*, ut maneat sensus: לֹא תִכְשֶׁר עֵינַי בְּשׂוֹם לְבַבְךָ בְּבֹאךָ לְבָבְךָ seu, nullum obstaculum Cyro moturo in Babylonios objectū iri, quod non ipse impetu potentiore sit perrupturus. Notetur 2. Egregiè Lutherus sensum fontium expressit in m. 2. v. 3. tum quoad positum קָרָא בְּשִׁמְךָ, tum quoad positum: DEUS *Israelis*: *Auff daß du erkenneß, daß Ich der HERR / der GOTT Israel / dich bey deinem Nahmen genennet habe.* Juxta Jun. & Tremell. qui reddiderunt: *Ut cognoscas me Jehovahm, qui voco te nominativum, DEUM Israelis esse*, requireretur *Sakephkaton* in הָרָע, ubi nunc datur *Rvia*. Et adeò קָרָא בְּשִׁמְךָ inter *Tvir* & *Tiphcha* habent se *parentheticè* & *exegeticè* resp. *pronominis* אֲנִי, ac pertinent *ad subjectum*, prout הַרְרִים אֱלֹהֵי יִשְׂרָאֵל faciunt *predicatum*. Juxta *literam*: *Auff daß du erkenneß, daß Ich / der Ich (dich) in deinem Nahmen anbruffe / sey der יהוה, der wahre / wesentliche HERR / (daß Ich sey) der GOTT Israel / conf. positus v. 4.*

Concl. 4. Ex illo *victoriarum tuarum* successu, *predicatisq;* sub ipso *Cyri nomine* triumphis tuis non saltem cognoscere debes *me esse יהוה*, DEUM *Israelis*; sed & *propter servum meum Jacob* & *Israel electum* (ad cuius scil. libertatem te instrumento uti volo) *vocasse te ipso nomine tuo*, (obscurato pristino proprioq; tibi nomine de quo consulantur *Herodorus* & *Justinus*) *cognominaturum te*, cum nondū cognoveris me (cum adhuc puer eris, & cultor simulacrorum, egregium illud *CYRI* cognomen tibi imponam. Addit *Hieron.* *Ego illud nomen pradixi, ut Isaaci & Josæ, ne putareris ille Christus esse,*

esse, cui es assimilatus, & in cuius typum ac imaginem precessisti) vers. 4. Ego (quippe) sum יהוה, nec ullus amplius: extra me planè non est DEUS: accincturus sum te, (conscribam tibi robustum exercitum, faciam ut sis victor multarum gentium) quando nondum cognovisti me (nondum in bellis cum Astyage & aliis Regibus Confessor veri DEI Israelis eris, prout deinceps, ubi ex Prophetarum meorum scriptis rectius informaberis) vers. 5. Et hæc feci, ut cognoscant ab Ortu Solis, & ab Occidente (gentes orbis terrarum, idq; vel) te Monarcha Concionatore, seu præcone, conf. Esræ i. 2. 3. 4. cap. 6. 3. 6. 10. nullum esse præter me: Me scilicet esse יהוה, & nullum præterea, v. 6. Qui formo lucem, & creotenebras: facio pacem (dans victorias Persis, salutem Israeli) & creomalum (Immittens mala pœnæ, id est, bella, & alia supplicia in Medos, Babylonios, aliosq; hostes) EGO DOMINUS facio omnia ista: Lucem & tenebras, pacem & malum. Pulchrè Hieronymus in h. loco: Quomodo tenebra luci, ita paci malum contrarium est: unde confundatur hæresis, qua malorum arbitratum conditorem DEUM. Cum hic malum non contrarium bono: sed pro afflictione ponatur & bello, secundum illud quod in Evangelio scriptum est: Sufficit diei malitia, (id est, ἀνομία, ærumna) sua. Calvinus quoq; ne videretur Florinianorū hæresin (quæ statuebat: Omnia mala esse à DEO, prout ei contraria hæresis Coluthianorum: N. mala esse à DEO, quas ambas contrarias falsas, duas autem subcontrarias veras, hæc admittit Ecclesia Catholica vid. August. de hæres. ad Q. n. 65. & 66.) sapere, orthodoxa planè hîc loquitur: Fanatici, inquit, homines hanc MALI vocem detorquent, ac si Deus MALI, id est, peccati Autor esset: sed facile apparet, quàm præposterè hoc Prophetæ testimonio abutantur. Antithesis enim id satis explicat, cuius membra inter se conferri debent: nam opponit Pacem Malo, hoc est, ærumnis, bellis, rebusq; omnibus adversis. Ita & Oecolampadius in h. l. Atque utinam non desissent Ipsi in tales fanaticos, quando, non obstante protestatione superiore, docent: DEUM autorem Massæ damnationis esse malorum: Imò DEUM non solum permittere creaturis ut operentur: sed DEUM ipsum esse, qui omnia propriè agat. Decrevisse enim DEUM & Judæ prodicionem, & Herodis ac Pilati conspirationem, & hoc ipsum esse sublimo.

*sublimioris Theologiae*, Vid. ille in h. locum. Usa hoc loco Isaiano antiq̄vitas contra Coluthianos, quibus opposuit hanc contradictoriam: *Quaedam mala* (pœnæ scil.) *sunt à DEO*. Utitur quoque Augustinus contra Julianum Pelag. l. 3. cap. 8. qui idem quod lib. 5. contra Julian. scripsit: *Multis exemplis scripturarum liquidò constare, occulto iudicio DEI fieri perversitatem cordis, & sic ipsum peccatum esse pœnam peccati*; paulò post explicat: *DEUS non facit voluntates malas: sed utitur eis, ut voluerit, cum aliquid iniquè velle non possit.*

Concl. 5. In Cyro κύρω non κυρίω (quomodo non Latino-rum: sed & Græcorum plurimos erravisse & ex pravâ lectione v. i.: Ούτως λέγει κύριος τῷ χειρῶν μου κύριω, i. e. Sic dicit DOMINUS CHRISTO MEO, DOMINO, mysteriū SS. Trinit. ausos probare testis Hieron.) MESSIA DOMINI typum Redemptoris Θεω θρώπης τῷ ΣΩΤΗΡΟΣ ΚΟΣΜΟΥ insignem negare haut licet: ad quem tamen omnia & singula, quæ de Cyro hoc loco prædicantur, referre velle non caret periculo. Tale est illud in v. 5. *Accincturus sum te, ut cunq̄, non noveris me*, id est, natura divina preparavit jam humane natura dona, antequam hæc esset assumpta. Rectè jam olim notavit Hieronymus: *In hoc loco satis mirari nequeo, quæ sit stultitia legentium, ut hæc ad Christum referant, per quem mundus reconciliatus est Deo.*

Concl. 6. Idem Hieronymus in hoc loco: *Legamus, inquit, octo Xenophontis libros, Cyri majoris historiam, & Prophetiam Isaie cernemus expletam. Quæ enim Civitas Cyro non paruit? quorū non Regum terga subjecit? Qui muri prius inexpugnabiles non illius obsidione subverſi sunt? Commendat idem quæ Josephus habeat XI. antiquitatis Judaicæ volumine, ex quibus notetur Oratio Cyri, in quâ talis illatio: Ego Cyrus ex Isaia lecto, illis inprimis, quæ 140. annis ante templi desolationem, 210. autem annis ante meam ætatem scripsit, cognovi me tot annorum τῷ χειρῶν μου prænominatum, & reducendo in patriam populo, ac templo fundando prædestinatum, imò tot ac tantarum gentium Regem declaratum. E. Credo DEUM maximū illum esse, quem adorat Israelitarum populus. Legit ergò præsentem textū Isaianum ipse Cyrus, imò, prout habet Josephus, admiratus vatū divinitatē, Ἰαυμάτους τὸ θεῶν, abreptus*

abreptus est *Φιλοσοφία* quaedam ad id quod predictum erat, executioni dandum. Pulchrè hæc conveniunt cum analysi superiori propositionis Isaianæ: Tu Cyre cognosces, quod Ego vocans nomine tuo, *יהוה* quod *sim* DEUS Israel.

## PHARASCHA III.

## CHRISTUS Cœli Terræq; Germen,

cap. 45. v. 9. 10.

Concl. 1. Sed redimus ad Isaiam, qui à liberatione per Cyrum corporali, ad eminentiorem ascendit liberationem spiritua- lem, à Cyro MESSIA & Pastore DOMINI ac *Executore consilij celestis*, qvoad liberationem ex Babylone, ad MESSIAM, Servatorem mundi, *Autorem Justitia verae, & salutis aeternae*, ac *Executorem*. & *donicus* IHOVAH, qvoad reconciliationem mundi (de qvo alibi Isa- iah: *כִּירוּ יִצְרָח* " *הַפֶּץ* cap. 53.) ascendit: nec enim post reddi- tos jam per Cyrum patriæ Israelitas qvicqvam in propioribus vo- tis Israelis erat, qvàm qvoad v. 8 exprimit Orator, idemq; novi hu- jus novissimi productor admirandus, DEUS: *Manate cœli* (illare facite) *supernè: & summa ætheris effluunt justitia: aperito se terra, & (ita cœlum ac terra) fructificanto* (seu, velut excellentissimum fru- ctum edunto) *Σωτήριον salutare* (Domini, seu ipsum Servatorem JESUM, qui servabit populum à peccatis) *ac justitiam germinare fa- cito simul* (terra scilicet cum cœlo, prout concurrat ad *ישע*, seu *salutare*: ita & ad *צְדָקָה*, seu justitiam) *Ego יְהוָה creaturus sum* (ad- mirabili inusitato & miraculoso modo producturus sum) *ipsum* (qui scilicet non taltem *צְדִיק* & *נושע* vel *כּוֹשֵׁעַ* Sach. 9, 9 *justus & Servator*: sed & ipsum *ישע*, seu ipsa salus vel salutare DOMINI, Luc. 2, 30. & *צְדָקָה*, s. justitia, imò factus nobis justitia 1. Cor. 1, 30.)

Concl. 2. Tale autem *ישע & צְדָקָה*, seu SALUTARE DOMINI & GERMEN *justitia*, ejusq; per *synergismum cœli & terre* productio, poterat aliquibus esse *signum dubitationis*, qvibus proinde opponitur illud: *Ego יְהוָה creaturus sum eum*, in v. 8. sed & futurum qvovqve erat plurimisin *mysterium patitèr ac benefici um*

blasphemis contradictionis signum & scandalum, criminaturis celeste consilium, & sive pari sive majori absurditate acturis, quàm si vel testa cum testa, vel utraq; æquè ignobilis litigatum esset cum fictore suo, si vel informe lutum (nondum scil. in vas efformatum) objecturum esset figulo formationis impotentiam (dicendo figulo: Quid facies!) vel, ubi jam in vas formatum, ipsumq; adeò vas elaboratum, artis figulina ignorantiam, seu imperitiam, dicendo: Non fuerunt figulo manus vers. 9. Imò negaturis celos supremos manaturos justitiam (dicendo ipsi PATRI: quid geniturus esses?) & terram aperto quasi utero germinaturã salutare Domini (dicendo MULIERI: quid paritura esses?) atqve adeò abnegando promissum ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΝ, Servatorem mundi, v. 10.

Concl. 3. Addimus 1. *Ἰνὸς πνεύματος* in metaphrases quasdam ad v. 8 9. 10. (1) Positum *שָׁמַיִם הָרְעִיפוּ* ò: LXX. expresserunt: *Ὁ-φωγευθήτω ὁ οὐρανός* Latator celum, Latini Interpretes, vel: *Ronate celi*, vel: *Destillate celi*, ac si idem sit quod *יִרְעַפוּ* Job. 36, 28. Prov. 3. vers. 20. vel, prout ex radice literæ transpositæ Deut. 33, 28. *שָׁמַיִם יִרְעַפוּ טל*: In fontibus tamen h. l. est forma Hiphil, quæ semel tantùm occurrit in *רָעַף*, nunquam in *עָרַף*. Notentur autem 2. radices solâ literæ metathesi discretæ, & significationibus quoque homogeneæ. (2) *שְׁחָקִים* per nubes expresserunt ò: LXX. & Vulg. Quia autem tenuis seu minuti significatio inest radici, proinde Jun. & Tremell. reddiderunt per nubes superiores, quæ ob longam distantiam tenuissima apparent. Rectiùs Grotius reddidit: *Summa ætheris*: illis scil. subtilitas, maxima tenuitas, & inde perspicuitas ac invisibilitas optumè competit. Reperitur bis in singulari Ps. 89, 7. 35. extra quæ loca semper usu Biblico plurale est. (3) *יָפְרוּ* plumbe pro singulari habuerunt ò: LXX. Vulgat. Vatabl. Luther. Rectè autem Jun. & Tremell. numerum expresserunt: sed ita, ut tantùm ad *אָרֶץ*, seu terram retulerint, & in hac ad *תַּחְתּוֹת אָרֶץ*, seu infima terra, quæ adeò opponantur illis *שְׁחָקִים*, seu summis cælis, prout *terram cælo*. Reddiderunt adeò: *Terrestria edant fructum salutis*:  
quia

quia tamen nulla in formâ fontium distincta mentio **החיות** **ארץ**, seu *Terrestrium*, proinde nolimus talem hîc vocem inferi. Igitur *R. Kimchi*, & ex illo Autor *Miclael Jophi*, referunt non ab *subjectum* seu *terram*: sed ad *objectum*, seu *illa qua germinant ex terrâ*, scil. ad *Salutem & Justitiam*, ut sit talis sensus: *Aperiat se terra, ut (germinent seu) fructificent salus & justitia, quas (terra) germinare faciet simul*. Obstat autem vehementer distinctio fontium, *Rvia* in **ישע** & *Mahpach* in **צדקה** habentium. Requirebatur accentuatio.

תפתח ארץ ויפרו ישע וצדקה תצמיח יחד

Omnium optumè illud **יפרו** refertur ad *cælum & terram*, ut ad eò ad producendum **ישע** concurrant **שחקים**, seu *cæli supremi & ארץ* seu *terra*: prout contra non **solis שחקים**: sed & **יחד**, seu paritèr ipsa terra **צדקה**, id est, *germinare faciet justitiam*.

Concl. 4. Notamus (4) vocem **תצמיח** non **תצמח** in *Hiphil*, non *Kal*. Ipsa scil. *justitia* est **צמח** seu *Germen*, vel *subjectum germinans*: prout *subjectum תצמיח* seu *germinare faciens*, est *Terminus*. Juxta *Lutherum*, *Junium*, *Onkelium*, & *Vulgatum*, requiretur positus: **ו צדקה תצמח יחד** die *Berechtigteit wachse mitzu*. Notamus (5) non culpandù *Hieronymum*, & *Vulgatum*, quod **ישע** reddiderint *SALVATOREM*: **ישע** sc. est **Σωτήριον**, & ipse ad eò *Servator*, idemq; **צדק**, seu *Justitia*, prout alibi appellatur *DOMINUS JUSTITIA NOSTRA*. Notamus (6) illud **בראתי** referendum ad **צדק & ישע**, s. *illud qui est ipsa justitia & salus nostra*: unde pro *Cyro*, ad quem vulgò refertur, hîc verus & sine mensurâ *Christus*, intelligendus, **ὁ ἀρχὴς τῆς σωτηρίας, αὐτὸς τῆς σωτηρίας αἰώνιος**, imò **κείνος τῆς σωτηρίας**: conf. *Luc. 1, 69. Hebr. 2, 10. cap. 5, 9. Act. 13, v. 47. cap. 4, 12*. Notamus (7) *Grotii* Interpretamentum: *Aperiat se terra, ut simul fructum proferant salus & justitia: hac simul germinare faciet is, quem ego Dominus creavi*. Requirebatur pro **תצמיח** masculinum **יצמיח** accentuatio:

תפתח ארץ ויפרו ישע וצדקה יצמיח יחד

Not. (8) illud **בראתי** pro **ילדתין**, seu *vocabulum creationis*

pro vocabulo generationis hîc supponere vult Drufius, repugnan-  
te & naturâ vocabuli & mysterii

Concl. 5. Notamus 2. quoad applicationem. Referimus nos ad  
*incarnationis ac instaurationis regni spiritualis mysteriû*, in quo nō ter-  
ram saltem scil.  $\tau\delta\ \kappa\tau\ \sigma\acute{o}\lambda\omicron\mu\omicron\varsigma$ , & in quantum salus est ex Judæis, ac  
ex Tribu Jhuda ortus, & in terrâ adeò formatus est Dominus no-  
ster Joh 4, 22. Epist. ad Hebr. cap. 7, 14. : sed & *cælum*, nec tantum  
quoad naturam divinam: sed & quoad  $\epsilon\pi\acute{\epsilon}\lambda\epsilon\upsilon\sigma\iota\nu$  Sancti Spir. &  
 $\delta\pi\iota\sigma\iota\alpha\sigma\mu\acute{o}\nu$  virtutis ALTISSIMI, in humana naturâ formatione,  
*sanctificatione, unione*, ac adeò *germinationem illam Servatoris*, seu ju-  
stitiæ & salutis, facilius licet ostendere, quàm penetrare, ipsumque  
Christum positum  $\epsilon\iota\varsigma\ \text{C}\eta\mu\epsilon\acute{\iota}\omicron\nu\ \alpha\upsilon\lambda\epsilon\gamma\acute{o}\mu\lambda\lambda\omicron\nu$ , etiam antequam na-  
tus est de muliere. Nec videmus quicquam solidioris applicati-  
onis. Fuerit Cyrus, *justus, magnanimus, clemens, liberalis, multis &*  
*preclaris virtutibus à Deo instructus*: fuerit aliqua politica populo-  
rum sub Cyro felicitas & justitia, an hâc absolvitur illa  $\text{קָרָא עֲשֵׂה}$   
seu *justitia & salus*, quam adeò magnificè hîc prædicit Propheta, v.  
8. Eminentiora sanè hîc omnia sunt, ut dubium nullum, quin præ-  
sens locus Isaianus fuerit inter materias collocutoris JESU apud  
Emauntinos illos Discipulos, quando  $\delta\iota\epsilon\mu\lambda\acute{\omega}\nu\epsilon\upsilon\epsilon\nu\ \alpha\omega\tau\acute{\iota}\varsigma\ \epsilon\nu\ \pi\acute{\alpha}\tau\epsilon\text{-}$   
 $\sigma\alpha\iota\varsigma\ \chi\epsilon\alpha\Phi\alpha\acute{\iota}\varsigma\ \tau\acute{\iota}\ \omega\delta\acute{\iota}\ \alpha\iota\upsilon\tau\acute{o}\varsigma$ , Luc. 24, 27. Sic v. 9. & 10. vulgò dici-  
tur *causa afferri evertendi regni Babylonici*, scilicet *blasphemia Regum*  
*Babyloniorum nequitia*, quod ejus Reger in Deum verum impij futuri e-  
runt *verbis factûq;*, cujus indignitas conjuncta maledictione, dua-  
bus similitudinibus illustretur: una *figmenti sese efferentis in figulum*,  
altera *seminis genitalis sese efferentis in parentes*. Allegatur exemplum  
Belsazer ex Daniel. cap. 5. Cæterum absurdum ad unius Belsa-  
zeris novissima, illud VÆ primum v. 9. restringere, & alterum v.  
10. in similitudinem meram detorquere, & quidem absurdam illam  
de *genitali semine*. Contra, prout v. 9. reverâ dantur *litigantes cum*  
*Deo creatore* (atque inde nexus v. 8 & 9.) ita v. 10. revera dantur  
*dicentes Patri, quid dignes? & mulieri, quid paries?* Et tam his, quàm  
illis denunciatur VÆ.

Concl. 6. Pro Belsazere ergò Kimchi, Nebucadnezarem substi-  
tuit





*dicitur, v. 9. & 10. Væ litiganti cum formatore &c. &: Væ dicenti Patri, quid geniturus es? &c. Si enim juxta mentem Commentatorum explicemus de Belsazere, ejusq; fastu convivali, non video, quomodo illi conveniat dictum in v. 9. Operi tuo non sunt manus, & multò minus illud: Væ dicenti Patri &c. Extra omnem quippe controversiam nec Nebucadnezari, nec Belsazari hæc dicta conveniunt. (de quibus tamen post Kimchium aliosq; Rabbinos Christiani quovocq; Dd. explicuerunt Junius & Tremell. Grotius, cæteri in h. l.)*

Concl. 8. Pergit idem Rabbinus: היה מפרשי הנוצרים מו שפירש זה ע"ל המכחיש אמונת האב חוליד את הכן וע"ל המכחיש לידרמורים והי"א אשה ככתולידה ושעליה ואמר ולאשה מרה החילוק וכו. id est, Fuit inter Expositores Christianos, qui exposuit hunc locum de abnegante mysterium Trinitatis, seu Deum Patrem ab aeterno generare Filium, & abnegante mysterium incarnationis, seu partus MARIE semper virginis, qua sit illa mulier, v. 10. Quem ex Doctoribus Christianis intellexerit Rabbinus, facile constat, postquam Hieronymus in h. l. Duplex, inquit, hujus loci est interpretatio. Quidam enim putant herere superioribus, que dicuntur, & Cyro Rege laxante captivos, cælum terramq; letari, μελωυυμυαως pro eo quod est, illos qui morantur in cælo & terrâ. Alii à superioribus separant, & capitulum hoc de adventu Domini volunt prophetari, quod imperatur nubibus, ut pluant mundo justum, terraq; aperiatur & germinet salvatorem. Quodq; sequitur: Ego DOMINUS creavi eum, NON SCANDALIZABITUR AD NOMEN CREATURÆ, QVI ILLUM SERVUM, AC VERMEM ET GERMINATUM LEGERIT ESSE DE TERRA. Porrò ad v. 9. & 10. idem Hieronymus. Qui captam ad Christum refert intelligentiam, sic explanationis sue verba moderatur: VÆ eis, qui contradicunt DEO, & Christum non putant esse venturum, quasi lutum & testa de testis contradicat figulo suo. VÆ, qui dicit omnipotenti Patri, quare tu generas filium? & mulieri sanctæ Mariæ, quid parturis? de quâ scribit & Apostolus: Quod Christus factus sit de muliere, factusq; sub lege.

PHA-

ORATIO III.  
PHARASCHA IV.  
CTRUS

197

*Reedificaturus Civitatem DEI & Liberator futurus  
captivi populi,*

*Ex cap. 45. v. 11. 12. 13.*

Concl. 1. Summa capituli hujus est: Futura illa superius prædicta de *excitatione Cyri liberatoris populi, & admirandâ germinatione MESSIÆ Servatoris mundi, ac per hunc congregatione Filiorum Dei, non magis cadere in interdictum vel impedimentum humanum (v. 11.) quàm creatio terræ, & hominum super terram, extensio cælorum & ordinatio universi exercitus cælorum (v. 12.)* Prout scil. huic nulla creatura opponere potuit *actus everentes consilium cælestē, quia DEUS absolutè ita voluit: ita nulla creaturæ repugnantia impedire potuit vel suspendere decretum cælestē de Cyro & Christo: quod proinde denuò asseverat, & quidem de Cyro: Ego excitaturus illum sum justè (ut justa mea judicia exequatur in Babyloniis, redditurus τῶν θλίβουσι θλίψιν, Israelitis autem τῶν θλιβομένοις, ἀνάψυξιν) & omnes vias ejus aquabo (successus ipsi admirandos dabo) Ipse reedificaturus est civitatem meam (Jerusalem, quæ propter testimonium, seu domum Dei & thronos judicij appellatur CIVITAS DEI, conf. Psal. 122. à v. 1. ad fin. Il. 44, 28) & dimissurus captivitatem meam, seu populum meum captivum: (idq; animo verè regali, nullum scil. sive λύτρον à Judæis postulaturus, sive donum accepturus: sed ipse potius & spolia urbis ac templi Babylonica redditurus, & magnificos sumtus, donaq; de suo contributurus, atq; e aded) non pretio, nec dono, ait DOMINUS ὁ παντοκράτωρ, (v. 13.) qui idem in capituli hujus exordio appellabatur, SANCTUS ISRAELIS & FORMATOR EJUS, v. 11.*

Concl. 2. Notetur 1. Affixum in צר ex hypothesi unâ ad Cyrum: ex alterâ ad CHRISTUM refert Hieronymus, ita παρὰ φραζῶν: Sic dicit Dominus sanctus Israhel, qui plasmavit in utero virginali Salvatorem, dicens per Gabrielem: Spiritus S. veniet super te, & virtus altissimi obumbrabit tibi, &c. Notetur 2. Illud תאוות illa ventura vel

*m* vel *fatuna*, Lutherus noster legit: die *Zeichen*/ ac si esset אֲתָתִיר  
 id est, signa. Notetur 3. positus עַל כַּנִּי וְעַל פֶּעַל יְרֵי הַצְּלוֹנִי  
 & in illo verbum אֲתָתִיר constructum cum nomine mediante parti-  
 culâ עַל, in quâ structurâ אֲתָתִיר seu præceptum habet rationem *in-*  
*terdicti*: quod ergo Versio Germanica hic habet: *Fordert von mir*  
*die Zeichen/ weiset meine Rinder/ und das Werck meiner Hände zu mir/*  
*non consonat fontibus, juxta quos legendum: Fordert von mir e-*  
*ben die zukünfftige Dinge/ und verbietet (verhindert) mir (dasern ihr könntet)*  
*dasselbe was Ich beschloffen habe wegen meiner Söhne/ und dem Werck*  
*meiner Hände. Sensus: Frustra litigatis cum DEO formatore Cyri &*  
*Christi, ac si vos evertere possētis consilium cœlestē v. 9.10. cum tamen*  
*illā; scilicet futura אֲתָתִיר penitus ignoretis, atque adeo nec impedire,*  
*possitis: imò etiam ubi constat vobis, seu ubi ex me revelante sci-*  
*tis, quid per Cyrum & Christum Servatorem facturus sim de Filiis meis*  
*adoptivis, interdicere, vel impedire consilium seu decretum non*  
*potestis: vel si posse vos confiditis, agite, futura illa de Filiis meis &*  
*opere manuum mearum ex me querite, ubi jam exquisivistis, actus ve-*  
*stros opponite, an interdicere mihi, ne quod volo, de illis faciam,*  
*seu impedire possitis, tentate, vel, si potestis, actu impedit. Ita ex-*  
*periemini quid vos possitis & quid ego. Non magis scilicet impedire*  
*poteritis futuram illam liberationem, quàm præteritam cœli & ter-*  
*re creationem: Imò mihi imperanti parent stellæ, seu universus ex-*  
*ercitus cœlorum. E. Notetur 4. rectè heic observatum ab Hieron.*  
*A præcepto ad creaturâ rationalem non V.C. nec adeo inde proba-*  
*ri animam stellarum magis quàm רוּחַ seu animam intelligentem*  
*in ventis, ceto, vermiculo apud Jonam: vel ipso lacu, & turbine, quos*  
*increpuisse Servator dicitur in Evangelio. Notetur 5. cum quæ*  
*v. 13. dicuntur, alii referant sive ad Cyrum, sive Serubabelem, popu-*  
*li liberati Babylone Antecessorem Ducem, & Urbis ac Templi aquè Ar-*  
*chitectum Principem, rejicit utramq; applicationem Hierony-*  
*mus: Illam quia 1. Civitas domum extructa sub Nehemiâ. 2. Non omnes*  
*via Cyri fuerunt directæ. Cyrus quippe diu Idololatra. Hanc,*  
*quia quæ hic dicuntur Zorobabelis statum, qui sub nutu ac*  
*potestate Medorum fuit ac Persarum, longissimè*  
*excedunt.*

*Ad Praestantissimum Dn. RESPONDENTEM.*

**Q**uæ quondam Vates flammatus numine CHRISTI  
Ora soluturus summo facunda tonanti  
Concinuit, plausu impellens cœlumq; solumq;  
Dum CYRUM CHRISTUMq; sonat, dum lingvasatetur  
De cruce regnantem DOMINUM, DOMINIq; triumfatum  
Quo solo fundata salus stat nostra, fidesq;  
Nititur, æternæ tendens in secula vitæ  
Hæc SCHARFFENBERGI nunc sunt tua cura, loquela.  
Lingve aliis Parides & inania bella Gigantum  
Aspernare leves generoso corde Camœnas.  
Pulchrior à sanctis veniens est gloria chættis.  
Perge tuam pollere DEO, Dominoq; dicatam  
Testari mentem, persancta volumina discens,  
Et simul oris opes, posthæc mentisq; resolve  
Sive ea quæ tabulis Moses legalibus edit  
Sive Evangelici mysteria Testamenti.  
Sic poteris prodesse choro, DOMINOq; placere.

*Honori & amori quod debuit L. M. Q.*

A. VARENIUS.

**I**sraelitarum dum fons TE ducit *aluminum*  
SCHARFFENBERG, studiis invigilasse juvat,  
Nam verbis Domini mysteria sancta docere,  
Pulpita cum cathedra sic geminare vales.  
Profit conatus! det succrementa laboris  
Alimpotens! felix cresces, viresce DEO!

*M. Hartmann. Mörling.*

**C**naviter HEBRÆI servas Præcepta \* MAGISTRI, *\*Vid. Vir In-*  
Dictis & Factis istud, AMICE, probas. *comparabilis*  
In Cathedris nostris Oracula sacra revelas, *Dn. Buxtor.*  
Perplacet & populo Concio docta rudi. *in Lexic.*  
Nec Studium Legis, sacra nec Meletemata linguæ, *Chald. Thal.*  
Ad Fontes ipsos Te Jeshaja vocat. *Rabbin. pag.*  
Promibilo reputans temet firmaris in illo, *983 sub Rad.*  
Nec discis Legem sed simul ipse doces. *□□□*

*de repe-*

*Ac reperis Legem, Tu non oblitus es ejus,  
Ingenii factus nec sepelire studes.  
Te facit in Mundo Sanctus Labor iste celebrem,  
In caelo dantur premia digna tibi.  
Assiduo Legis de Te Cultore triumphet,  
Ut merito tandem Patria nostra, Vale.*

*Cornelius Pittelius, Garz. Meckleburg.*

**A**ndinus valeat, valeat Sulmonius augur,  
Mortales Reges invita morte canentes;  
Tu mihi, Tu SCHARFFENBERGI, & tua docta probatur  
Pagina, quâ pingis caeli terræq; Monarcham  
Quô coram inflexo metuunt sibi poplite Reges  
Atque tremit tellus, tremit & telluris alumnus.  
Hunc DOMINUM AUGUSTUM Tu AUGUSTO PRÆSI-  
Gratulor, hos in TE foveat feliciter ignes. [DE sistis.  
Quam canis, aeterno SUBOLES aequiva Parenti  
Sæpius ut Regem sacratâ voce JEHOVAM  
Collaudes, laudis TIBI sic præconia coges.

*Johannes Marci, Gustrov.*

**M**ein vielgeliebter Freund/ wie: wil er auch besteigen  
Den Scharffen Lemus Berg/ und seine Wissenschaft/  
Die er durch Müß und Fleiß zusammen hat gerafft/  
Dem werthen Musen-Volck und thren Lehrern zeigen:  
So recht/ so mus es seyn/ durch stetes stilleschweigen  
Wird einer nicht gelehrt: Durch reden wird die Krafft  
Der Worte ausgepreß/ derselben edler Safft  
Kan der verstockten Sinn und falsche Meynung beugen.  
Und dis hat bey sich auch/ Herr Scharffenberg/ bedacht  
Drumb seine Wissenschaft/ Er jetzt bekant gemacht.  
Ich wünsch die Glück darzu. Der Höchste wolle geben  
Dass es gereichen mög' zu seines Nahmens Ehr/  
Zu mehrung Christi Reichs durch unverfälschte Lehr/  
Ihm selbst zur Seeligkeit/ und Ruhm in diesem Leben.

*Johan-Georgius Matern, Silesius.*

**S**ic SCHARFFENBERGI, non ultima gloria turbae  
Aoniis sacrae, pulpita docta petis?  
VARENIUS dux est, tua gloria crescit in altum.  
Sit felix! Faustum! Prospera quaeq; precor!

☞ : ☞

M. P. R. P.

### ORATIO III.

esse, cui es assimilatus, & in cuius typum ac imaginem p.  
 Ego (quippe) sum יהוה, nec ullus amplius: extra  
 DEUS: accincturus sum te, (conscribam tibi robusti  
 faciam ut sis victor multarum gentium) quando v  
 me (nondum in bellis cum Astyage & aliis Regibu  
 DEI Israelis eris, prout deinceps, ubi ex Prophe  
 scriptis rectius informaberis) vers. 5. Et ha  
 sciant ab Ortu Solis, & ab Occidente (gentes orbis ter  
 te Monarcha Concionatore, seu pracone, conf. Esrā 1.  
 6. 10. nullum esse prater me: Me scilicet esse יהוה, &  
 v. 6. Qui formo lucem, & creo tenebras: facio pacem  
 Persis, salutem Israeli) & creo malum (Immittens m  
 bella, & alia supplicia in Medos, Babylonios, alio  
 DOMINUS facio omnia ista: Lucem & tenebras,  
 Pulchrè Hieronymus in h. loco: Quomodo tenebr  
 lum contrarium est: unde confundatur haeresis, qua m  
 conditorem DEUM. Cum hic malum non contrarium  
 flictione ponatur & bello, secundum illud quod in Evang  
 Sufficit diei malitia, (id est, ἀνάγκη, arumna) sua  
 ne videretur Florinianorū haeresin (quæ statuebat  
 à DEO, prout ei contraria haeresis Coluthianorun  
 DEO, quas ambas contrarias falsas, duas autem sub  
 heic admittit Ecclesia Catholica vid. August. de b  
 & 66.) sapere, orthodoxa planè hîc loquitur: Fam  
 mines hanc MALI vocem detorquent, ac si Deus MALI  
 Autor esset: sed facile apparet, quàm praeposterè hoc p  
 abutantur. Antithesis enim id satis explicat, cuius me  
 ferri debent: nam opponit Pacem Malo, hoc est, arum  
 omnibus adversis. Ita & Oecolampadius in h. l. At  
 desissent ipsi in tales fanaticos, quando, non obsta  
 ne superiore, docent: DEUM autorem Masse dam  
 lorum: Imò DEUM non solum permittere creaturis  
 DEUM ipsum esse, qui omnia proprie agat. Decreviss  
 Jude prodicionem, & Herodis ac Pilati conspirationem,



the scale towards document